


M. P. C. P.



Valentini Thebani Gon
v April 1618
Francofurti cis Viadrin



Σὺν Θεῷ
QUÆSTIONUM THEOLOGICARUM EX EPITOME FORMULÆ CONCORDIÆ
DECAS III.

De
LIBERO ARBITRIO,

PRÆSIDE
POLYCARPOLYSERO
SS. Theol. Licentiato & Profefs.
Extraordinario.

RESPONDENTE
M. JOHANNES CASPARO BACHMANNO Ulmenfi.

*Disputabitur ad diem 23. Martij horis
à sexta matutinis.*

WITTEBERGÆ,
Excusa à JOH. GORMANO, Anno 1611.



*Generis splendore Nobilissimis, Literarum scienti-
tiâ præstantissimis, & usu rerum prudentissi-
mis VIRIS DDDn.*

IOHANNI ABRAHAMO
EHINGERO,
IOHANNI SCHERMIEIRO,
IOHANNI HENRICO GI-
ENGERO,

Inclytæ Rei Ulmensis publicæ Aedylibus, Scho-
larchis & Senatoribus spectatissimis, gra-
vissimis, dignissimis;

*Dominis Patronis & Promotoribus suis, omni
subjectionis ac observantia cultu prosequen-
dis,*

Huncce Decadis *ζητημάτων* theologi-
corum factum.

*In studiorum suorum testimonium;
Gratitudinis debite tesseram;
& Observantia Symbolon;*

Inscribit, Dedicat, Offert

Respondens.





DISPUTATIO III.
Ex Epitome Libri Concordiæ,

De
LIBERO ARBITRIO.

QUÆSTIO I.
An sit liberum arbitrium.

Thesis I.



Ut necessitatem omnium rerum & fatum inevitabile statuunt, certè magis pœna, quàm ratione coercendi videntur: cum non tantùm Scriptura, sed & sensuum testimonium reclamet, & hoc modo præmiorum promissiones & pœnarum comminationes tollantur.

II. Stoicorum hoc quondam fuit delirum dogma & Manichæorum furor, qui docuerunt, omnia quæ eveniunt, necessario fieri, & aliter fieri prorsus non posse: & hominem omnia coactum facere, etiam ea quæ in rebus externis agat: eumq; ad designanda mala opera & scelera (qualia sunt libidines vagæ, rapinæ, cædes, furta & similia) cogi. F. c. p. 580.

III. Horum in castris strenuè militante Calviniani hoc tempore, & hoc ne forsan affingere illis videamur, proprijs id demonstrabimus illorum verbis.

IV. Zwinglius lib. de provid. ad Philippum Cattorum regem Tom. 1. f. 365. Cum Lex homini est data, semper peccat, cum contra legem facit, quantumvis nec sit, nec vivat, nec operetur, nisi in Deo, ex Deo & per Deum. Sed quod Deus operatur per hominem, homini vitio vertitur, non Deo: Ex f. 366. Nec dicet quispiam, innocens igitur est latro, Deo enim impulsore occidit: nam contra legem peccavit. At inquires coactus est

ad peccandum. Permitto, inquam coactum esse, sed in hoc, ut & alter transferretur, & alter cruci affigeretur. Et post pauca: Si in homine prorsus nullum liberum est consilium, jam fateri cogimur: divina Providentia surta, homicidia & omnia scelerum genera fieri. Sic enim Providentiam, inquam, agnoscimus, ut omnia curantem atq; gerentem.

V. Hermannus Rennecherus in Aurea salutis catena, p. 28. & 29. Ex his manifestum est, quod contingentia, si Hominis Consilium ejusq; exitum respexeris, sit in rebus humanis aliqua. si Verbo Dei Decretum & ejus exitum spectaveris, ea in reb. sublunariis & alijs quibusvis prorsus nulla est. Et p. 32. Deus impios arcana vi tanquam occulto fune, alioquin nescios, ad eos fines, quos ipsi minimè spectant, consequendos trahit. Sic impij occulta Dei manu, sine ullo suo proposito & conatu ad finem ipsis incognitum, non secus diriguntur, quam sagittæ ad emittentis scopum sine ulla sensu perveniunt.

VI. Zanchius de Natura Dei l. 5. c. 1. quæst. 4. Thef. 2. p. 554. Ac proinde simpliciter respectu divina Providentia, nihil evenit aut fit, quod non eveniat aut fiat inevitabili necessitate, non solum quoad res, quæ fiunt: sed etiam quoad modos, quibus fiunt.

VII. Error hic horrendis laborat impietatibus; Deum causam peccati & omnium scelerum facit: contingentiam in rebus humanis tollit: pietati januam præcludit: impietati fenestras bipatentes aperit: nisi ergo illorum cor fatuum esset, fatum non crederent. Augustinus.

VIII. A qua fatuitate longissimè B. Lutherus absuit, ut non nisi per insignem hoc delirum dogma injuriam ipsi tribui possit. Neq; est quod producant Librum ipsius de servo Arbitrio, ex quo Propositionem hanc (omnia fieri necessariò) excerpunt, & certissimam sibi pollicentur victoriam.

IX. 1. Satis dextrè enim in cap. 26. Genes. mentem suam explicavit, sic scribens: scripsi inter reliqua, omnia esse absoluta & necessaria. sed simul addidi, quod aspiciendus sit Deus revelatus, &c. 2. Quin imò eò ipso in libro hanc declarationem disertè adjecit; optare se, aliud vocabulum melius & aptius in hac controversia posse usurpari: esse enim nimis incongrua & ingrata significationis, & quandam velut coactionem importare. 3. Cum primis autè respexit ad Præscientiam Dei, quæ omnia, quæ futura sunt, Deus
noyis

novit, nec aliter, quam futura videt, eveniunt. Præscientia autem non est causa rerum præcitarum; quia eventus non pendet à prævisione, sed ab eventu prævisio potius pendet. Ita enim Deus omnia creata administrat, ut sinat illa proprios suos exercere motus August. l. 7. de civ. Dei c. 5. Quos motus videt, & si boni sunt, vult, approbat & ordinat, si mali, certas metas ponit, & quamdiu durare debeant præscribit.

X. Omnia ergo necessario fiunt, præscientiæ divinæ respectu: ita tamen ut illud non de necessitate simplici & absoluta, quæ coactionis est, sed de necessitate conditionata sive consequentiæ intelligatur. Et hac necessitate qui contingentiam tolli existimat, revera quid contingens sit, quodq; eius proprium principium ignorat.

Q U Æ S T I O II.

Quid sit liberum Arbitrium?

XI. Initiò ut æquivocationem vocis tollamus, liberum arbitrium non ipsam mentis & voluntatis græcæ nobis notat, quæ significatio veteribus usitata fuit; sed earum vires & facultates. Aliud enim est mens, aliud arbitrium mentis; aliud ipsa voluntas, aliud ejus volitio.

XII. Est autem liberum Arbitrium facultas animæ rationalis deliberans in corde, de illis rebus, in quibus voluntas habet potestatem, ea, prout intellectus monstravit, vel eligens vel rejiciens.

XIII. Mens ergo & voluntas hic concurrunt, & quidem ætissime nexu copulata, ut licet sedes liberi arbitrii in voluntate proprie constituatur, iudicium tamen mentis minime excludatur, sed præsupponatur: In ijs enim quæ cum de liberatione mentis & delectu suscipiuntur, libertas arbitrii cernitur.

XIV. Et cum ad Electionem duo requirantur; cognitio & appetitus (ignoti enim nulla cupido) quorum illa præcedit, & est rationis: hic sequitur, & est voluntatis: Quis in usu liberi Arbitrii mentem & voluntatem semper & necessario concurrere non videt.

XV. Caterum liberum arbitrium vel sumitur pro una potentia vel pro gemina: illud interiorem hoc exteriorem libertatem alij nominant.

XVI. Interior libertas est motus ille spontaneus, quo sine actione vi naturali mens & voluntas moventur & agunt: & hanc qui negat,

catholicus non est dicendus, August. Non enim ratione objectorum sed in se consideratur: liberum ergo est, & coactum esse nequit, quia simul hoc stare nequeunt. Flecti tamen ab externo, ut sic vel aliter moveatur, objecto posse non negamus: id quod tamen non est hujus considerationis.

XVII. Exterior libertas, est qua arbitrium recte agit, cum nimirum iudicium mentis & electio voluntatis cum ordine nature & norma legis divine exacte congruit. Moltherus disp. de Lib. Arb.

XVIII. De hac libertate hodie litem nobis incendunt tum Pontificij, tum Synergistæ; his ut recte obviam eatur, tria præmittenda erant; 1. objectorum consideratio: 2. Statuum diversorum hominis contemplatio. 3. & veri controversiæ status formatio.

QUÆSTIO III.

Quod sit objectum Liberi Arbitrij?

XIX. Objectum, in quo liberum hominis occupatur arbitrium, actiones sunt, quæ duplicem habent considerationem: vel enim humanæ sunt vel divinæ.

XX. Humanarum actionum, quæ ad inferius hoc quasi hemisphaerium pertinent, alia naturales sunt, alia morales.

XXI. Naturales, quæ secundum naturam à quibusvis communiter, eodemq; modo sunt, & vel homini conveniunt quæ animal est ut; edere, bibere, audire, videre, &c. vel quæ homo est, ex conditione suæ speciei, ut ridere, loqui, &c. Circa hæc non per se versatur liberum arbitrium, nisi quatenus aliquid morale conjunctum habent.

XX. Morales, omnem externam morum disciplinam complectuntur, & ad civilem vel Oeconomicam vitæ societatem pertinent; ut sunt artes & disciplina, leges & pœnæ, & alia.

XXIII. Divinarum actionum quædam Pædagogicæ sunt, quædam Spirituales.

XXIV. Pædagogicæ sunt quæ externo inserviunt religionis exercitio, in sensus & oculos incurrentes; quales sunt, accedere Ecclesiam, audire conciones verbi, vel etiam aures obstruere, legere, meditari verbum, dispensatio & usus externus Sacramentorum, &c.

XXV. Spirituales sunt, quæ hominis regenerationem & conversionem, Dei agnitionem, amorem, fidem ac salutem æternam concernunt, & ex solius verbi divini præscripto suscipiuntur, ut; assensus interior mentis, notitia

ticia mysteriorum Evangelij, salutaris Christi agnitio & quae his similes sunt.

XXVI. Horum objectorum cum maxima sit diversitas; diverso etiam modo liberum hominis arbitrium circa ea se habere necessario sequitur, id quod ex sequentibus patebit.

QUAESTIO IV.

Quotuplex sit statuum hominis & secundum eisdem Liberi Arbitrij consideratio?

XXVII. Status hominis distincta sunt hominis conditiones, secundum quas considerari haecenus ex scriptura consuevit. Sunt vero ij duplicis considerationis vel hujus praesentis vitae vel alterius & aeternae.

XXVIII. In praesentis vitae statu dupliciter homo considerari potest: 1. in statu integritatis, estq; illa hominis conditio, in qua primi parentes ante lapsum constituti fuerunt, creati ad imaginem & similitudinem Dei, in iusticia & sanctitate veritatis.

XXIX. 2. In statu corruptionis, cujus itidem duplex consideratio: vel lapsus & peccati, sic eam vocamus conditionem, quae lapsum primorum parentum secuta est; vel regenerationis, quando per aquam & verbum corruptio naturae tollitur.

XXX. Status aeternae vitae, vel gloriae est ea conditio, in qua post resurrectionem Electi futuri sunt, in altera illa verè beata vita. Secundum hos distinctos hominis status, distinctè liberum ejus arbitrium contemplantur.

XXXI. 1. In statu integritatis liberum arbitrium verè liberum erat, tum in divinis, tum in humanis actionibus; nec tantum liberum sed & viribus ad perficiendum instructum. 1. conditi enim erant homines ad imaginem Dei Gen. 1, 27. quae potissimum in libero resulsit arbitrio. 2. datum eis divinum praeceptum, quod frustra datum fuisset, nisi ei parere potuissent, Gen. 2, 16. 3. comminatio etiam poena addita, quae injusta nisi culpam declinare potuissent: de quo Syracid. 15, 13.

XXXII. 2. In statu Peccati vel nullum est vel valde infirmum, idq; pro diversitate objectorum. Nullum est, in spiritualibus quae salutem animae proprie concernunt th. 25, neq; enim percipit ea quae spiritus

vicius sunt homo, 1. Cor. 2, 14. sed hostili animo ijs adversatur, Rom. 8, 7.
& quantum mortuus vita naturali habet liberi arbitrij in naturalibus, tan-
tum in spiritualibus, Eph. 2, 5. In firmum, tum in naturalibus, quæ ad
conservationem nature faciunt; tum in moralibus; est enim justitia car-
nis, Matth. 5, 20. Rom. 9, 31. tum in Pædagogicis seu externis, hinc est,
quod Herodes n̄d̄eōs Iohannem Baptistam audivisse dicitur, Marc. 6, 20.
Sergius proconsul desiderasse audire Paulum Act. 13, 7. Infirmetas autem
illa est. 1. ex ipsa nature totius depravatione, 2. tyrannide Satane. 3.
negotiorum & periculorum hujus vite confusione. 4. eventuum & successu-
um contingentiæ, non enim in nostra, sed Dei sunt potestate. Chemnit.
p. 1. L. C. p. 460.

XXXIII. 3. In statu regenerationis, arbitrium liberatum
est, non à lege, cui nihilominus obedientiam præstare tenentur; non à reli-
quijs peccati, manet enim lucta illa spiritus & carnis, Gal. 5, 17. ut sæpe
non faciunt renati, quod volunt: sed quia voluntas, quæ jam liberata est,
adjuta gratia divina obtemperat Spiritui sancto, & resistit dubitationibus,
dissidentia & contumacia: nec etiam est planè otiosa & hostiliter & petu-
lanter reluctatur & refragatur Spiritui sancto: nolentem enim prævenit
ut velit; volentem subsequitur ne frustra velit. August. in Enchir. c. 32.

XXXIV. 4. In statu gloriæ summus perfectionis Liberi
Arbitrij gradus erit: non solum enim regeneratio, quæ hic incoatur, ibi
omnibus suis absolvetur numeris, sed & angelis similes, Matth. 22, 30. in
bono p̄i confirmabuntur, ut immutabiliter boni futuri sint, nec à bono in æ-
ternum dimoveri possint; & Christus ab omni labe nostre humilitatis cor-
pus reformabit, ut conforme reddat corpori ipsius glorioso Phil 3, 21. Quæ
voluntatis humanae determinatio, ejusdem libertatem non tollet, sed extol-
let: non interficiet sed perficiet, Hunnius de Lib. Arbitr.

QUÆSTIO V.

Quis sit verus controversiæ status inter nos
& Synergistas?

XXXV. Primus Synergiæ patronus hac nostra ætate Erasmus Ro-
terodamus fuit, scripto quod Diatriben nominavit, in lucem edito, cui
masculè & animosè B. Lutherus se opposuit, Synergiam confutavit, & ser-
vum in rebus spiritualibus arbitrium hominis asseruit.

36. B. Lu-

XXXVI. B. Luthero mortuo Philippus Melancht. timidior errorem hunc renovavit, Erasmiānamq; liberi arbitrij definitionem suis in locis communibus approbavit; quod liberum arbitrium sit facultas applicandi se ad gratiam.

XXXVII. Cujus patrocinium suscepit cum primis Victorin. Strigel. Jen. Acad. Prof. idq; in publica Vinarix habita disputatione cum Matthia Flacio Illyr. Videbat enim in conversione hominis peccatoris, requiri voluntatem ejus assentientem verbo & promissionibus Dei: sed in eo; Vnde nam ille conatus assentiendi, graviter errabat, ex reliqua liberi arbitrij vi sive potestate, quod $\sigma\upsilon\lambda\lambda\epsilon\gamma\sigma\tau\omicron\upsilon\varsigma$ Dei appellabat, non ex mera Dei gratia esse asserens: atq; ita hominem in conversione non se purè passivè, sed & aliquo modo activè habere, nec truncum sed hominem converti propugnans.

XXXVIII. Vt autem status controversia legitimè formetur, cavendum ne peregrinae quaestiones admisceantur, & diversi hominum status, diversaq; voluntatis objecta confundantur.

XXXIX. Nec, ergò in primam, multo minus in quartā hominis conditionē sive statū quaesitum rejiciendū: nam de utroq; ex th. 31. & 34. constat, perfectū fuisse hominis liberum arbitriū, & longè perfectissimū etiam futurū.

XL. Nec de tertio statu hic agitur, qui est regenerationis; fatemur enim ultro th. 33. restitutam esse homini aliquam libertatem per Spiritus sancti gratiam, cujus primitias renati accipiunt, Rom. 8, 23.

XLI. Sed quaestio praecipua est tantum de voluntate & viribus hominis in secundo statu, qualnam vires post lapsum primorum parentū nostrorum ante regenerationem ex seipso habeat in rebus spiritualibus: an proprijs viribus antequam per Spiritum Dei fuerit regeneratus, possit sese ad gratiam Dei applicare & prae parare: & num gratiam divinam (qua illi per Spiritum sanctum in verbo & sacramentis divinitus institutis offertur) accipere & apprehendere possit, nec ne. F. C. p. 578.

XLII. Agitur ergo non de paedagogicis sed spiritualibus actionibus: non de motibus bonis in conversione, qui non negantur, sed de principio & causa illorum motuum: & num modiculum liberi Arbitrij residuum sit, & aliquid licet per pusillum in hominis conversione praestare possit.

QUAESTIO VI.

Agitne ergo aliquid Liberum Arbitrium in hominis ad Deum conversione?

B

43. Gratia

XLIII. Gratiæ divinæ hostes non tantum illi censendi sunt, qui eam in conversionis negotio planè tollunt, sed & qui inter gratiam & naturam partiri solent.

XLIV. Crassior fuit Brito ille Pelagius, qui asserere non dubitavit, quod homo proprijs viribus sine gratia Spiritus S. sese ad DEUM convertere, Euangelio credere, legi divinæ ex animo parere, & hac ratione Remissionem peccatorum ac vitam æternam ipse promereri valeat. F. C. p. 580.

XLV. Subtiliores fuerunt Semipelagiani, qui docuerunt, hominem proprijs viribus inchoare posse suam conversionem, absolvere autem sine Spiritus sancti gratia non posse. F. C. p. 581.

XLVI. His nihili meliores censendi Synergistæ, qui ne gratiam omnino negarent, neq; plus homini quam DEO tribuere viderentur subtilius quid excogitarunt, & agnita liberi Arbitrii infirmitate, initiũ conversionis humanis viribus tribui non posse concesserunt: Si tamen Spiritus S. prædicatione verbi initium faceret, suamq; gratiam in verbo homini offerret tum hominis voluntatem proprijs & naturalibus suis viribus, non nihil licet id modiculum, infirmum & languidum admodum sit, conversionem adjuvare atq; cooperari, & seipsam ad gratiam applicare, præparare, eã apprehendere, amplecti & Euangelio credere posse. F. C. p. 581.

XLVII. Partitionem ergo talem instituerunt: Deum $\kappa\upsilon\epsilon\iota\omicron\nu$ $\alpha\acute{\iota}\tau\iota\omicron\nu$ conversionis appellarunt: verbum $\sigma\omega\epsilon\pi\upsilon\omicron\nu$: voluntatem hominis $\sigma\omega\alpha\acute{\iota}\tau\iota\omicron\nu$: & hanc Spiritui sancto ita adjunxerunt, quemadmodum Poeta inquit de puero comitante patrem: Sequiturq; patrem non passibus æquis.

XLVIII. Hoc sanè quid aliud est quam prolixè tribuere homini in actionibus æternam salutem concernentibus liberum Arbitrium, comitem Spiritui sancto, licet infirmiore, inefficienda conversione adjungere, & gratiam Dei contra manifestam Scripturam sacrilegè extenuare.

XLIX. Sed benè habet! Audiamus Deum in Scripturis loquentem, & hanc liberi Arbitrii gloriationem funditus evertentem: ne tamen prolixiores simus, sufficiant ea, quæ nostra attingit Concordia; ex quibus sic concludimus: Si in conversione resuscitantur mortui, illuminantur cæci, convertuntur repugnantes, ad bonum nequaquam liberi erunt. Sed prius verum. E.

L. Sic enim Paulus ad Eph. 2, 5. cum essemus mortui peccatis convivificavit nos cum Christo, & ad Col. 2, 13, & vos cum mortui essetis in delictis

licitis & præputio carnis vestre, convivificavit cum illo. Quantum itaq, ab-
est, ut corpus mortuum seipsum vivificare atq, sibi ipsi corporalem vitam re-
stituere possit, tantum abesse credimus, ut homo, qui ratione, peccati spiritu-
aliter mortuus est, seipsum in vitam spiritualem revocandi ullam facultatē
habeat, F. C. p. 579. Et hoc ne de primo saltē motu intelligatur, addimus: Si-
cut ad vitam recuperandā se præparare, vel Deo revocanti cooperari pos-
sit: ita nec in homine spiritualiter mortuo illa cooperandi virtus esse potest.

LI. Cæcitatem insuper intellectus & rationis humana satis exagge-
rat Scriptura, dnm in nobis nihil quam tenebras esse asserit, Ephes. 5, 8.
eratis quondam σκοτ & tenebrae, nunc autem lux in Domino & Joh 1, 5.
Lux ipse sc. Christus εν σκοτια lucet: ambularunt enim gentes in vanita-
te mentis eorum, obtenebratum habentes intellectum, propter ignorantiam
qua est in eis, Ephes. 4, 17. Sapientiam ergo Evangelij caro & sanguis
non revelant, Matth. 16, 17. nec quis principum hujus mundi cognovit, 1.
Cor. 2, 6. & animalis homo ο δυνάμει γινώσκει τὰ τῶν ὀφθαλμῶν &
Jes, 1. Cor. 2, 14. Si autem ignorat conversionis rationem, quomodo ad
eam sese homo præparare dicendus erit.

LII. Sed num quando pater celestis per verbum revelavit, homo ani-
malis assentiri, amplecti & cooperari ex proprijs viribus arbitrij poterit? mi-
nimè; non enim δεξιαι capax est ut firma, assensione accipiat, 1. Cor. 2,
14. quia nec idoneus ex seipso λογισμασιν 2. Cor. 3, 5. in spiritualibus:
qua pro stultitia habet, nisi Spiritus sanctus mentem illuminet & judicium
spirituale donet.

LIII. De voluntate hominis in qua præcipuè consistit peccatum,
res est manifestior; ea enim non tantum à Deo est aversa, verum etiam
inimica Deo facta: ita ut tantummodo ea velit & cupiat, ijs delectetur,
qua mala sunt & voluntati divinae repugnant, Gen. 8, 21. Rom. 8, 7. F. C.
p. 597. qui ergo boni motus, qua apprehensio, qua cooperatio in re maxime spi-
rituali, Deoq, gratissima, conversione nostra, voluntati nō renata tribuetur.

LIV. Quin imò D. Johannes c. 1, 13. nostram voluntatem planè re-
moveret, de nostri regeneratione sic scribens: filios Dei fieri, non ex sanguine,
non ex voluntate carnis, non ex voluntate viri, sed ex Deo.

LV. Nulla ergo prorsus gloriatio liberi Arbitrij; mens enim cæca est,
voluntas depravata, totus homo mortuus; Omnia ita gratiae divinae ascri-
benda, ne quis gloriatur, sed ut qui gloriatur, gloriatur in Domino 1. Cor.
1, 29, 30.

LVI. Hic resuscitat mortuos, in gratiam recipit filios iræ, servat perditos, visitat desertos, illuminat cæcos, in viam dirigit errantes, in lucem revocat obtenebratos, asciscit in peculium alienos, misericorditer respicit misericordia indignos, &c.

QUAESTIO VII.

Quomodo Deus conversionem hominis operatur?

LVII. Deum esse qui operatur in nobis velle & perficere pro bona sua voluntate, testatur Paulus, Phil. 2, 13. Verum cum actiones Dei non sint uniusmodi, & alias sine medijs, alias per media exequatur; ad quam speciem nostra conversio referenda sit, queritur.

LVIII. Enthusiastæ, cælestes Prophetæ & consimiles pharisei ad priorem referunt speciem fingentes Deum immediate absq; verbi Dei auditu, & sine Sacramentorum usu homines ad se trahere, illuminare, iustificare & salvare. F. C. p. 581. Nemo enim potest venire ad Christum, nisi Pater traxerit eum, à quo omnes docti erunt. Joh. 6, 44.

LIX. Nos posteriorem & mediatam Dei tractionem & institutionem agnoscere Scripturae autoritate tenemur. Sic enim Christus, Joh. 15, 26. Cum venerit Paracletus, quem Ego mittam vobis à Patre, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis. Ergo per Verbi ministros, ceu ordinaria media, Spiritus sanctus de Christo testatur, per quod testimonium cælestis Pater homines trahit ad filium & convertit.

LX. Cujus ministerij dignitatem ita asseruit Deus, ut etiam eos, quos peculiari gratia dignatus erat, ad ordinarios Verbi ministros remiserit, ut per eos edocerentur: quales fuerunt Æthiops Eunuchus, Cornelius, Macedones & alij, quorum in Actis Apostolicis fit mentio.

LXI. Verbum enim Dei, quod illis concreditum; non inutile medium est, sed virtus Dei ad salutem omnium credenti, Rom. 1, 16. ex cuius auditu fides est, Rom. 10, 17. & salus aeterna. Marc. 16, 16. Christus enim habet verba vitae aeternæ, Joh. 6, 68. qui autem audit Legatos Christi, ipsum Christum audit, Luc. 10, 16. nam per homines Deus exhortatur, ut reconcilientur Deo, 2. Cor. 5, 20.

LXII. Huc facit jucunda illa permutatio Scripturae admodum frequens: Renascimur ex Deo, Joh. 1, 13. renascimur ex aqua & spiritu, Joh. 3, 5. renascimur ex semine immortali per sermonem Dei vivi, 1. Pet. 1, 23. Item: hoc est opus Dei, ut credamus, Joh. 6, 30. per ministros credimus, 1. Cor. 3, 5. ex auditu verbi fides est, Rom. 10, 17. Item: Deus nos

salv^{as}

salvat, Jcf. 33, 22. Baptismus nos salvat. Mar. 16, 16. Ministri nos salvant.
Tim 4, 16. Qua certè permutatio locum non haberet, nisi Spiritus S. per
Verbum & Sacramenta ordinariè conversionem hominis operaretur.

Q U Æ S T I O I I X.

Quales convertit Deus, An assentientes, an re-
pugnantes; an purè passivè se
habentes?

LXIII. Tria in hac questione, sed brevibus ponderanda veniunt.

LXIV. I. Quando Deus incipit operari in homine conversionem, tum
in eo requiri consensum, qui acquiescat in illa Dei operatione, extra contro-
versiam est: Sed unde ille consensus non immerito queritur.

LXV. Scholastici dicunt: Initium salutis nostræ Deo misere
habemus, ut autem acquiescamus salvari inspirationi nostræ est potestatis.
His consentit Chrylost. Hom. 9. de laudibus Pauli: Deus nolentes
non cogit, sed volentes trahit, & propterea dicit: nemo ad me veniet, nisi
Pater meus traxerit eum. Qui autem trahit, volentem trahit, humiliq; ja-
centem & manum porrigentem. Et consimile extat apud Basil, in Homil.
de pœnitent. Deliberavit filius perditus, nec patrem latuit: venit ad se
excusandum, obviam ivit ille verecundus, Solum velis & ipse praoccurrit:
incipere dicere, & pater assumit, &c.

LXVI. Nos hæc formæ sanctorum verborum non esse analogæ judica-
mus. Afferuntur enim hæc dicta, ad confirmandam falsam opinionem, de vi-
ribus humani arbitrij in hominis conversione, contra doctrinã, quæ soli gra-
tiae divinae id opus attribuit. Ideoq; ab ejusmodi sermonibus, quando de con-
versione hominis ad Deum agitur, abstinendum censemus, F. C. p. 582. tan-
tum enim ijs gratiæ Dei derogatur, quantum virium nobis ascribitur.

LXVII. Et cum consensu hic pertineat ad fidem: fides autem opus &
donũ Dei sit, Joh. 6, 30. Phil. 1, 29. Etiam consensum Dei donũ esse sequitur.

LXVIII. II. Si ergo nullus in homine ex proprijs viribus assensus in con-
versione, num repugnantia quaedam erit in illo? nec nos repugnamus,
duplicem tamen damus repugnantiam. 1. quæ partim ex naturæ de-
pravatione, partim ex dominatione Diaboli proficiscitur, quando
quis dedita opera & furenter medijs contemnit & execratur; tales Deus
non convertit, juxta illud Matth 23, 37. & Act. 7, 51.

LXIX. 2. Naturalem illam malitiam, quæ res divinas pro stulti-

cia & averſa qualem in convertendis, dari ſtatuumus, imò etiam in converſis, & renatis: De prioribus loquitur Paulus Rom 8. 7. ſapientia carnis inimica eſt Deo. Rom. 5. 10. vocat peccatores inimicos Dei & Paulus fatetur Act. 26. ſe converſum eſſe furentem & ſrementem contra Chriſtū. Hinc illud Chriſti, Luc 14, 23. compelle eos intrare, lege ſcilicet & cruce.

LXX. De renatis agit Paulus ad Gal. 5, 17. caro concupiſcit adverſus ſpiritum. Rom 7, 23. video aliam legem in membris meis, rebel- lantem legi mentis meae: & Petrus I. Ep. 2, 11. monet renatos, ut abſti- neant à cupiditatibus, quæ militant adverſus animam.

LXXI. Cum ergo repugnet homo, unde ille conſenſus? Dominus in converſione per Spiritus ſancti tractionem, ex hominibus repugnan- tibus & nolentibus volentes homines facit, & in volentibus habi- tat, ut Auguſtinus loqui ſolet: Dominus enim velle, aſſentiri & perficere in nobis operatur Philip. 2, 13. Hinc orat Jerem. c. 31, 18. Convertete me Domine & convertar, &c.

LXXII. III. Quomodo vero cum repugnantia hac naturali, tum etiam divinitus donato aſſenſu, eſſatum B. Lutheri conſiſtet, quando ſtatuit; Vo- luntatem hominis in converſione habere ſe purè paſſivè: repu- gnare enim & aſſentiri actiones ſunt, non paſſiones.

LXXIII. Sed ex Chemnitio reſpondemus: 1. ſubjectum recipi- ens formam, quatenus recipit paſſivè ſe habet. Voluntas hominis eſt ſubje- ctum converſionis. Ergo hætenus paſſivè ſe habet.

LXXIV. 2. Subjectum quod ad productionem formæ nullam ex ſe habet activitatem, ſed tantum recipit formam, purè paſſivè ſe habet. Vo- luntas hominis nullam omnino habet divitiarum, vim ſeu efficaciam in moti- bus & actionibus ſpiritalibus: natura enim mortua nihil agit. E. purè paſ- ſivè in illis ſe habet.

LXXV. Actio ergo excluditur, non omnis, ſed quæ ad productionem formæ concurrat: repugnantia autem nihil cooperatur, ſed potius impedit converſionem hominis: quam non negavit B. Lutherus, ſed aſſeruit, ſcri- bendo: Liberum Arbitrium tantum valere ad male agendum.

LXXVI. Idem, de voluntatis conſenſu ſtatuumus; Deus enim eos quos convertit, trahit voluntatibus eorum, quas ipſe in illis per Spiritum S. operatus eſt, ut Auguſtinus loquitur: ſed num hoc eſt ex naturalibus viri- bus aſſentiri, & agere cujus naturalis divitiarum reſpectu, voluntas purè paſſivè ſe habere verè dicitur.

Quæ.

QUÆSTIO IX.

Ergo in conversione homo planè truncus erit?

LXXVII. Certè cum purè passivè sese habeat in sui conversione, homo ratione activitatis trunco vix melior erit, licet in alijs ingens sese offerat discrepantia.

LXXVIII. Quo facit illa similitudo, quando Scriptura homines luto, Deum creatorem figulo con. parat. Esa. 64, 18. nunc Domine Pater noster es tu, nos verè lutum: & fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos. Esa. 45, 9. Jerem. 18, 6. Rom. 9, 20, Si ergo absurdum non est, hominem lutum appellare, neq. absurda trunci vox estimanda, in modo enim agendi nulla hic differentia.

LXXIX. Quo accedit, quod Scriptura homines mortuos in peccatis vocat, Eph. 21. sed annon cadaver instar trunci se habet: in utroq. certè nulla capacitas, nulla aptitudo talis, qualem Serapellius somniavit.

LXXX. Nec inconvenienter hic quis producet locum illum, Osee 6, 5. dolavi vel succidi eos per Prophetas: Hebræa enim vox דבן sectionem lignorum vel etiam durioris materie, lapidum significat.

LXXXI. Aegerrimè hanc Spiritus sancti similitudinem Synergias patroniserunt, calumniantes, quasi illà transformatio hominis in aliam speciem, truncum vel asinum statueretur ideoq. non hominis, sed trunci conversionem appellandam, eine Klotzbus.

LXXXII. Vanissima hæc esse, cuius patet, qui differentiam, hominis corrupti, ac trunci: illius conversionis, & in hoc fabri operationis attendit. Illa verò in his consistit præcipuè.

1. Voluntas humana potest resistere Spiritui sancto: truncus non:
2. Homo est ordinarium conversionis subjectum: truncus non, quia in illo nec mens, nec voluntas, quæ ordinaria Dei dispositione converti possent.
3. Voluntas habet aliquam δλώαμω in actionibus pedagogicis & externa disciplina, ut possit verbo Dei doceri, quod medium est conversionis truncus ea caret.
4. Voluntas hominis mota & adjuta incipit benè velle & operari; truncus sine omni proprio motu impressionem ab artifice recipit.

LXXXIII. Homo ergo non est simpliciter truncus dicendus: & tamen in conversione ratione activitatis eadem vires hominis & trunci, hoc est, nulla,

Quæ

Q U Æ S T I O X.

Quid vero de externo verbi auditu, qui etiam non renato tribuitur, sentiendum?

LXXXIV. Ad efficiendam conversionem Spiritus sanctus prædicatione, & auscultatione verbi utitur: vult enim Dominus, ut ipsius Verbum audiatur, neq; ad illius prædicationem aures obturentur. Psal. 95, 8. F.C. p. 580. & juxta usitatam Theologorum regulam: Spiritus sanctus efficax est per vocem Euangelij auditam vel cogitadam.

LXXXV. Ideo etiam Christus Marc. 16, 15. instituit ministerium Verbi, & Apostolis mandat, ut in universo mundo Euangelium prædicent omni creaturæ: addens, quod qui credat Euangelij prædicationi, is salvus sit futurus.

LXXXVI. Duo autem hæc sunt distinctissima; audire Verbum; & per auditum verbi cor suum immutare & credere. Prius non renatos præstare posse exempla testantur quotidiana: posterius autem ipsis impossibile, Scriptura clamat.

LXXXVII. Si enim Spiritus sancti gratia absit, nostrum velle & currere, nostrum plantare, seminare & rigare, prorsus frustranea sunt: si, videlicet, ille incrementum non largiatur. 1. Cor. 3, 7. Hinc Christus ait: Sine me nihil potestis facere, Joh. 15, 5. F.C. p. 580. Singula hic ponderanda verba, Augustinus monet: non dicit, sine me parum potestis facere: nec dicit, non potestis ardui quid sine me facere: vel difficulter sine me potestis: nec dicit, sine me non potestis perficere: sed sine me nihil potestis facere.

LXXXVIII. Sicut ergo palme à seipso non possunt ferre fructum, nisi sit in vite, sed à vite accipit vitam & succum; si autem separaretur à vite, arescit: ita nisi verbo suo adsit præsens Spiritus S. & ipse corda hominum aperiat, ut sicut Lydiæ in Actis Apostolicis c. 16. diligenter attendant, & ita convertantur, sola gratia & virtute Spiritus S. cujus unius & solius opus est hominis conversio, homo in tenebris & morte manet.

Oremus ergo Dominum cum Jeremia c. 31, 28: Convertite me Domine, & convertar: quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam, & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum; tibi soli sit

laus, honor & gloria seculis
indefinitis.

F I N I S.

822 A 33

ULB Halle 3
001 586 408



Sb

ber

EO-Ry
03.10.1
DM







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

30



ΘΕΩ
M THEOLO-
EPITOME FOR-
ONCORDIÆ
AS III.

De
D ARBI-
I O,

ESIDE
POLYSERO

entiato & Profefs.
rdinario.

NDENTE
CASPARO BACH.
o Ulmensi.

em 23. Martij horis
matutinis.

BERGÆ,
MANO, Anno 1611.

